

Petrus de Vinea

*Ep. II 2 (Subministrante nouorum
emergentium uarietate...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 2 (Subministrante nouorum
emergentium uarietate...)*

ottobre-novembre 1243

Regi Franciae et aliis regibus nobilibus, significans quae acciderunt in obsidione Viterbii

1. Subministrante nouorum emergentium uarietate materiam, tam noua quam uetera scribere cogimur, ut ad uos plena notitia nostrorum euentuum ex certa scientia perferatur. 2. Obsidentibus siquidem nobis Viterbiensem ciuitatem, et ad expugnationem eiusdem cum infinita multitudine machinis paratis, ex aduerso prouisa est summae subtilitatis et industriae uia, quae propositum nostrum a ceptis auerteret et iustum animi nostri motum, quem causa inopinatae perfidiae contra nos et imperium perpetratae commouerat, preter omnem spem nostram et eorum meritum, ne ad uindictam nobilis ira procederet, deliniret, uidelicet quod inter omnes Ecclesiae Romanae cardinales precipuus amicus noster ad talia mitteretur, O. uidelicet sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, qui ob suae fidei puritatem diffidentiam nostram, ex preteritis non iniuste conceptam, ab intimo nostri cordis euellens et intercessionis amicae dulcedine nostrae gratiae duritiam emolliret; cui nullo modo possemus ex fide premissa decredere, nec ex affectione preces quantumcumque grauissimas obaudire. 3. Supplicauit itaque iste carus amicus noster, homo bonus et purus, et ex parte patris et fratrum, ut ab obsidione Viterbii recedentes, impugnationes ciuitatis eiusdem, remotis insultibus nostris et diruptis machinis, laxaremus, quam magister Rainerius de Viterbio, ille, inquam, famosus amicus noster!, undique congregatis balistariis, quibus facilius hominum sanguinem et uitam effunderet, obsessus interius defendebat, adhibitis ad ministerium defensorum obsequiosis manipulis fratribus Minoribus

et Predicantibus, scilicet qui de manibus propriis tamquam ex pharetris sagittas mortiferas educentes iaculatoribus adiunctam remissionem quorundam peccatorum, quo securius atque libentius nostros occiderent, ministrabant. 4. Nos autem Ecclesiae matris nostrae preces consueta iam exauditione suscepimus deuote, quas tantus pater et tam familiaris amicus noster, ut diximus, affectuosissime porrigebat, miras nobis et ineffabiles ex parte summi pontificis et cardinalium omnium gratias et specialiter ex consummatione pacis inter nos et Ecclesiam promittens, expressim adiciens ex stipulatione nobiscum contracta sollemniter et repromittens, quod Symonem comitem Theatinum et alios milites nostros Theutonicos, et Latinos necnon et Viterbienses omnes, quos in castro Viterbii pro fide nostra pugnantes religiosa perfidia tenebat inclusos, nobis restituere deberet; et quod Viterbiensibus predictis in ciuitate morantibus et ad nos exire uolentibus seu etiam aliis ciuibz ciuitatis eiusdem, qui ceterorum suorum ciuium communicare perfidiae recusantes ad nos pridem exiuerant, nulla prorsus in persona aut rebus iniuria seu molestia inferretur. 5. Nunc autem audite, qualiter omnia supradicta sunt nobis ex federe promisso seruata. 6. In primis, tam comes quam Theutonici supradicti milites et alii de regno Syciliae, rebus ipsorum omnibus uiolenta predonum Romanorum et Viterbiensium manu in predam et direptis, uix potuerunt uiui de castris septis iaculantium et lapidantium manibus, ipso cardinale Odone presente nec contradicere ualente, deduci, quin etiam ipse cardinalis prefatus uulneratorum ipsorum nostrorum sanguine maculatus, proximum imminere sibi propriae uitae periculum formidabat. 7. Viterbienses uero, fideles

nostri, bonis suis omnibus spoliati, turribus ipsorum et domibus funditus diruptis et igne succensis, non sunt ad nos contra fidem promissam exire permissi, sed carcerali custodiae, proh dolor!, mancipati. 8. Romani uero postea, quibus ad defensionem Viterbii, nobis et Imperio nefaria Viterbiensium proditione subtracti, uenientibus tamquam ad liberationem sepulchri Dominici nauigantibus fuerat indulta remissio peccatorum, postquam nos ab obsidione Viterbii supplicantis Ecclesiae potius precibus, quam Romanorum terrore uicti discessimus, aliqua ex debilibus castris nostrorum fidelium, quae tenebant ad alicuius seu aliquorum instantiam, quorum adhuc tacemus nomina, simulato quodam rigore iurium, post dissolutum nostrum exercitum, nobis ab eo longe morantibus, combuxerunt. 9. Sed nec per hoc est nota Romanorum pusillanimitatis offensa, nec Quiritum pudor in aliquo coloratus, quod ausi fuerint mappalia quaedam quorumdam nostrorum fidelium igne comburere et rusticos quosdam imbelles suppellectile paupere spoliare. 10. Non sic fuerunt hoc anno magna nimes, cum nos maiori militum, sed minori peditum quantitate Urbem pre foribus angebamus: nisi forte ex indulta remissione peccaminum, tamquam de paradiso securi, se uellent audaciores exponere et mortis indubitatae se offerre periculis promptiores. 11. Haec sunt quae nobis nouiter et enormiter contigerunt: horum tamen omnium nullos apud uos diffamamus actores. Enormitatem commissi facinoris nobis ad presens perferre sufficiat, quam etiam per magistrum O. cardinalem prefatum, cuius est preter omnem culpam suam temere uiolata promissio, tam domino papae quam fratribus suis, duximus humiliter et

suppliciter denotandum; probabiliter expectantes, quod si sibi commissa per suos offensa displiceat, offensores correctionis debitae iudicio puniet, et nos ex promisso per eum beneficio gratiae placabit offensas.